



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Cap. IV. Quid sint Sacramentalia, & quid officiant?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

congruum est, Sacramenta ita instituta esse, ut
uberius gratia detur pro dispositione subjecti;
tum quia non videtur is, qui vehementem attri-
tionem ad Baptismum, vel Pœnitentiam affert,
omni fructu carere.

II. Qui sumit hostiam, quam nescit esse con-
secratam, cum instar alterius animalis, sine inten-
tione sumendi, Sacramentum sumat, accipit qui-
dem materialiter rem, quæ est Sacramentum, non
tamē sacramentaliter & cum fructu. Idem docet
Bon. de eo, qui sumit Sacramentum ex causa fa-
mis; quod videtur intelligendum, si ex ea sola;
neque enim videtur Sacerdos fructu Sacramenti
privati, etsi sumpturus calicem, simul etiam le-
vare sitim intenderet. v. Bon. l. c. num. 3.

CAPUT IV.

*Quid sint Sacramentalia, & quid
efficiant?*

Resp. Cæremoniæ Ecclesiasticæ, quæ vulgo
dicuntur sacramentalia, sunt actus externi reli-
gionis ad colendum Deum accommodati Tales
autem communiter vocantur oratio Dominica,
aqua benedicta, esus eulogiarum olim in usu,
confessio generalis, elemosyna, benedictio ab
Epi copo, vel Abbate con/e rato data quæ ex
antiqua traditione dicuntur remittere venialia,
& continentur hoc versu:

*Orans, tinctus, edens, confessus, dans,
benedicens.*

*Ad quæ etiam revocantur, unctio pectoris,
unctio.*

unctio in Regem, & similes, item multæ aliæ ceremoniæ, & res etiam ipsæ sacræ, quæ in Ecclesia partim ab Apostolis traditæ, partim postea institutæ sunt, ut Exorcismi; insufflationes, prima tonsura, benedictiones & consecrationes reinarum rerum, & personarum; ut Ecclesiæ, calicis, &c. ipsæ etiam herbæ, lumina, vinum Joannis, cerei agni, signum S. Crucis. Quæ ergo, quam vim habeant, non ex opere operantis, cum certum sit, sicuti per alia pia opera, sed etiam iis nos mereri, sed ex opere operato.

Resp. II. Non habent vim ex opere operato conferendi gratiam, aut remittendi peccata sua & per se, sed tantum, quatenus in nobis piæ motum excitant. Ratio prioris est, tum quia nullamquam promissio gratiæ, aut remissionis peccatorum, iis facta reperitur; tum quia peccatum etiam veniale non remittitur sine infusione gratiæ, quam conferendi ea nullam per se habent vim. Ratio posterioris, quia id accommodatū est sacramentalium institutioni & consecrationi, quæ fit per preces Ecclesiæ, quibus ipsa nobis talis motus precatur. *Con. q. 71. a. 3.* Unde resolves.

I. Gratia prævenientes, & pii motus, conferuntur per sacramentalia, per modum impetrationis, quæ non omnino infallibilem effectum habent.

II. Peccat graviter, qui sacramentalibus falsam materiam supponit, ut pro aqua lustrali faciendam, urinam.

III. Sacramentalia quandoque operantur beneficia corporalia, v. g. sanitatem, per motum impe-

impetrationis, ratione precum Ecclesie. Imo
quædam etiam vim habere, [v. g. fugandi Dæ-
monem] per motum operis operati, ex singulari
privilegio, docet Henric. l. 1. cap. 2. Sotus & alii.
Quia, inquit, etiam Ethnici, in quibus nec in-
tercesserunt preces Ecclesie, nec meritum ope-
rantium, quandoque signo Crucis [quod quidam
etiam putant de nomine Jesu] à Dæmone liberati
fuisse dicuntur? quod tamen alii eorum virtuti
objectivæ, quasi naturali, ascribunt, de quos plura
apud Scholasticos. v. Marat. d. 10. f. 1.



TRACTATUS II.

De Baptismo & Confirmatione.

CAPUT I.

De Baptismo?

Non agitur hic de Baptismo sanguinis, id est,
martyrio; nec de fluminis, seu spiritus, id
est, contritione, cum voto Baptismi, vel deside-
rio, quia non sunt Sacramenta: sed de Baptismo
fluminis, qui definitur, Ablutio corporis exte-
rior, facta sub præscripta forma verborum.

DUBIUM I.

Quæ materia Baptismi?

Resp. Materia remota licita, est aqua conse-
crata.